

DISPUTATIO PHYSICA
De
ANIMA
RATIONALI.

Quam
ASPIRANTE
DEO TRIN-UNO ANIMARUM
AUTORE, CONSERVATORE, PRO-
PAGATORE, BEATORE,

*In Nobilissimò, florentissimò Albimontis
Athensò,*

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Plurimum Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi
DN. CONSTANTINI ZEBORNI
SS. Theol. Licent. Naturalis Philosoph. P. P.
meritissimi, dignissimi:

*Domini Præceptoris, Patroni ac Promotoris summâ
animi devotione æ viternum devenerandi.*

Ad diem XV. Augusti
*Placide ac publice Eruditorum disquisi-
tioni sistit*

CHRISTIANUS STUBER Drošnâ Marchi.

Literis Hæred. MELCHIORIS OELSCHLEGELII,
ANNO M. DC. LIX.

Philos.

B.

15, 30

Med. Foy. XXV. 120

M. M. I. T. T. A. A.

D. O. C. T. O. R. A. T. O. R.

B. I. B. L. I. O. T. H. E. C. A.

Sächsische Landesbibliothek
Dresden

32

MULLERE, verè-docta sunt, quæ disputas
Doctè, memoriam perpetem tui me-
rent,

Tuisquè studiis præmia minantur pia.
Ex corde gratulor Tuis profectibus
Voxque unanimes est omnium, Feliciter!

Quod gratulab. de prop.

PRÆSES.

JObban illeti az Embert, jobban esztet à
Legént
Kit az Jstenigy megháldott, hogy ne éllyen
baromként
Ki à testét csak hizlalya; hanem hogy à job-
bik részt
Az ő Lőkét alzt à kincset, kit semmi megh
nem emészt,
Megh épecse f-megh vizsgállya. Példat adhatz
mindennek
Kik à Tudománt követik f-az Erkölcsnek
engednek

Te

Te Mufáknak Kedves Társa. Járy ekképpen
hogyvehes
Ezmunkádbolfő jutalmot f-hires nevelés
lehes.

*Mellyet szűvéből kivanyán Jo Aka-
rojának ez keveset irá*

Német Uyvári Magyar Mihály

Τῆς ψυχῆς ἐράτης παιδείης, Φίλτατε Φίλε,
Αρχὴν ἡμετέρης, ἐργασίας τε καλᾶς.
Ἐμμενὲ τῷ ἔργῳ Φυσικῷ, θεὸς ὀβριμοεργῆς
Σοὶ Φυσικῆς καρπὸν δώσσε βράνιον.

ἔγω συνήδεται Φιλτάτῳ σῳ
Συασίτῳ

Σαμῆλ Στρίκε.
Μαρχικός.



De
ANIMA RATIONALI.

PROOEMIUM.



Quantum Scientia de ANIMA, ob rerum, in quibus versatur, nobilitatem, inter alias Philosophiæ partes emineat, non tam Veterum Patrum, quam & recentiorum Philosophorum testantur scripta. Vetus Ecclesiastes Augustissimus ille Augustinus 2. de Ord. c. 8. asserit, duas tantum esse in Philosophiâ questiones, easdemq; precipuas; Unam agere de ANIMA; Alteram verò de DEO: Primam efficere, ut nos ipsos noverimus; alteram, ut originem nostram: Illam nobis dulciorem; hanc chariorem esse: Illam nos dignos beatâ vitâ; hanc beatos reddere. Nobilissimam esse hanc scientiam præ ceteris, tot fulgentissimorum rei literariæ siderum maximò studiò elaborati & publicè editi, edocent libri, quos partim manibus nostris adhuc pervolvere integrum est, partim injuriâ temporis amisimus. D. Dionysius cap. de Divinis nominibus de Anima scripsisse se meminit. Justinus Philosophus & Martyr ejusdem argumenti librum edidit, ut refert Divus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Augustinus librum unum composuit de immortalitate Animæ; Alterum de Animæ quantitate; Quatuor de Animâ & ejus origine, Item Gregorius, Tertullianus & multi alii. Deinde Authores Ethnici multa de eadem conscripserunt, Trismegistus, Plato, Theophrastus, Plotinus, Chalcidius, Proclus, Jamblichus, Tullius, Aristoteles, qui præter hos tres libros, alium reliquit de Animæ questionibus, sed ad nos non pervenit.

A Mul-

Multi indefesso studio, non tantum, ut illorum, quae pedibus conculcamus, corporum causas & naturas cognoscant; verum & caelestium corporum motus ut rimentur, multas noctes, diesque consumunt; Ast caligo & miseria est scire caetera, & se nescire. Celebris quondam, sive Chilonis, sive Phemonoae aut Thaletis, vel quicumque ejus Autor fuerit, sententia foribus templi Delphici ab Amphictionibus inscripta (γινώθι σεαυτὸν) commonebat, maxime eniti quemque debere, ut seipsum norit: Nosse autem se nemo potest, nisi animi sui naturam & dignitatem perspectam habeat. Hoc ergo dum facimus & de hac scitu non dignissima modo, sed & jucundissima, praestantissimaque materia, quantum in nobis erit, absque verborum involucris differere constituimus, nemo opinor nostrum conatum culpabit. Tu vero, Deus gloriose, rege mentem, move linguam: Da nosse me, quia nosse me, est nosse TE!

QVÆSTIO I.

An aliqua in universa hâc rerum naturâ detur res, quæ ANIMA vocetur; Et an certum quid de eâ sciri possit?

§. 1. Perplexum ac difficile esse, solis ingenii humani viribus ad veram Animæ cognitionem pervenire, Veterum Philosophorum, magnorumque ingeniorum dissensus & pugnae fat comprobant. Dicæarchus Philosophus, Aristotelis Stagiritæ quondam discipulus, cum essentiam animæ comprehendere non posset, & ut unô saltû extra omnes difficultates se expediret, Animam omnino nihil esse, dixit, nomen hoc esse totum inane, frustra que animalia & animantes appellari, neque in homine esse animam, neque in bestiâ, perhibente Cicero. Idem Beatus Lactantius de Philosopho Tarentino Aristoxene, nullam esse animæ naturam asseverante, attestatur.

§. 2. Verum enim verò, etsi animæ, maxime humanæ, substantiam, nullô sensu percipere, oculisvè cernere nobis integrum non est, tamen ANIMAM esse, vereque in hâc rerum naturâ existere, certissimis demonstrationibus, cum primis tribus, contra jam jam allegatos, & si aliàs sint (quo-

LUM

rum tamen perpauci, imò vix, ac ne vix unus quidem, in scholâ Christianorum, saniorumque Philosophorum cathedrâ reperietur, nisi ἀπώσια διαβολας laborarent,) probare possumus.

§. 3. Depromimus itaque primam nostram demonstrationem ex operationibus aliisque actionibus ex intellectu & πνευματικαῖς institutis, quæ ab animâ proveniunt, & alteri principio tribui non possunt; cum sint operationes super naturam & conditionem corporis, & materiæ sublimiores. Unde, cum mortuò animali videamus nullas hujusmodi exerceri operationes, colligimus aliquid vitale recessisse à quò tanquam à principio operationes atque actiones istæ procedebant. *Secunda ratio* non incommodè desumitur ab Autoritate Philosophorum, qui ab Aristotele recensentur, hi enim ad unum omnes, unanimi consensu animam esse affirmarunt, licet controversas de ejusdem essentiâ habuerint sententias. *Tertium argumentum* denique omnium fortissimum, invictissimumque est, quando Ter. O. M. terque sanctissimus Deus per S. S. verbi sui revelationem ab istis maxime turpissimisque erroribus, tanquam Ariadnes filò nos expeditos cupit, infinitis in locis animam esse testatur, ut, Gen. 2, 7. *Formavit Jehova Deus hominem è pulvere terræ, inspiravitque in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* 3. Reg. 17, 22. *Ex audivit Jehova vocem Elie & reversa est anima pueri in interiora.* Joh. 12, 25. *Qui amat animam suam perdet eam: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam.* Matth. 10, 28. *Ne metnatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennâ.* Ergò de Animâ non frustra disputari, sed reverà in rerum naturâ existere tam manifestum est, ut sine animâ censendus, qui animam esse dubitat, dicente August.

II.

*Num Animæ rationalis tractatio ad Physicam
pertineat, an non?*

§. 1. *Quamvis hæc quæstio in intimis Philosophiæ re-*

A 2

cessi-

cessibus abdita & retrusa non fit, at tamen non nihil difficultatis ei videtur parere judiciorum variorum varietas & discrepantia: Simplicius & Themistius in initiô Physicorum, quorum sententiæ subscribere etiam Boëtius in suô prologô ad Isagogen Porphyrii videtur, animæ contemplationem nec Physicam, nec Metaphysicam, sed Mathematicam esse, sibi ferio persuadent: Et hoc (ut Conimbr. interpretantur) non quod Mathematici negotii esse eam putent. Sed quia sicuti res Mathematicæ inter Physicas & Methephysicas utriusque naturæ interstitiô & affinitate mediæ sunt: Sic animam inter easdem medium tenere, cum sit intelligibilis & corporei mundi nexus, ac vinculum. Proindeque ejus considerationem ad mediam quandam disciplinam, quæ partim naturalis, partim transnaturalis sit, pertinere.

§. 2. Verùm opinio hæc infirmô fundatur fundamentô, cum Theoretica Philosophia perfectè dispescatur in Metaphysicam, Physicam & Mathematicam; non in Metaphysicam, Physicam & intermediam. sc. eam, quæ his duabus subjicitur. Deinde hæc doctrina non approbatur à Philosophis, illi enim, maximè verò Aristoteles, mentionem talis mediæ Philosophandi generis fecissent.

§. 3. Porro quidam hanc totam doctrinam ad primam Philosophiam delegatam volunt, innixi autoritate Aristotelis, qui, cum quævisset, *An Physici esset de omni animâ disputare?* respondit, non esse, additâ hæc ratione, quia Physica consideratio est solius naturæ; at, quando de intellectu disputamus, tunc intellectus natura non est, adeoque disputare de rebus à materiâ abstractis, (videlicet de intellectu) alienum esse videtur à Physici institutô, qui in rerum corporearum atque mutationi obnoxiarum peruestigatione & explicatione occupatus. Hunc locum, sive quæstionem Aristotelis, Alexandri sectatores non solum de animantium animâ intelligendum esse opinantur: Sed de Animâ, quatenus etiam intelligentias comprehendit; quæ verò explicatio Conimbricensibus displicet, dicentibus, Aristotelem de solis animantium formis ibi differentem decrevisse, animam hu-
ma-

manam sive rationalem, non ex totò ad Phisicum pertinere,
quia & Metaphysicus de eâ disputet.

§. 4. Nos haud curiosi, minimè cum illis discepta-
bimus hâc de re, non enim solùm Phisicus, non modò Meta-
physicus; sed & rectè Pnevmaticus, rectè Ethicus, rectè Logi-
cus, rectè Theologus de animâ agunt. Ergonè eadem ratione
sibi hanc doctrinam adscribit Phisicus, quâ Metaphysicus?
Metaphysicus quâ Pnevmaticus? Pnevmaticus quâ Logicus?
Logicus quâ Ethicus? Et Ethicus quâ Theologus? Neuti-
quam: Quatenus anima in sese generaliter, tanquam Ens &
species quædam Entis à vinculis corporeis soluta considera-
tur, eatenus ejus tractationem sibi sumit Metaphysicus. Qua-
tenus cum corpore conjuncta, ejusque ἐντελέχεια & forma,
eatenus Phisicus. Quando Spiritus sive substantia spiritualis
est & pro completæ substantiæ parte accipitur, Pnevmaticus
de eâ disputat. Cum ingreditur alicujus Syllogismi proposi-
tionem constituitque mihi vel subjectum, vel prædicatum,
tunc operationis Logicæ est. Si subjectum est & principium
virtutum, actionumque civilium, Ethicæ tractationi relin-
quitur. Tandem quatenus ad Deum per veram salvificam-
que fidem convertitur & post resurrectionem corpori redu-
nita in cœlesti æternâque vitâ triumphabit, eatenus ejus tra-
ctationem sibi ascribit Theologus.

§. 5. Igitur in proapatulò, hos omnes, non convernere
in formali animæ, seu ratione, secundum quam & sub quâ a-
nimam quilibet horum cognoscit, licet unum materiale, seu u-
nam rem entitativè (ut loquuntur) sumtam habeant. Pro-
pterea notandum nos non absolute seu generaliter in termi-
nis quidditativis de animâ in Phisicis tractare, sed respectivè
tantùm quippe in relatione ad corpus. Plura hâc de quæstio-
ne qui legere amat, adeat Connimbr. Art. 2. quæst. unicâ in 3.
lib. Art. Proœm. pag 7. 8. 9. qui sat prolixè in ventilandâ hâc
quæstione sunt.

III.

Quid Anima rationalis sive humana sit?

§. 1. Magnam & generosam rem esse animam ratio-

A 3

nalem.

nalem, sublimitas naturæ & multitudo laborum attestatur; Sane nihil in vastissimò cœlo reperitur, nihil in amplissimâ terrâ datur, cui non antecedit. Diu multumquè de hâc & antiquis & nostris disceptatum est temporibus. Sapiens Seneca Epist. 88. innumerabiles esse de eâ quæstiones perhibet. Unde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quam diu sit, an aliunde aliò transeat & domicilium mutet, ad alias animalium formas, aliasquè conjuncta: Annon amplius quàm semel serviat, & emissa evagetur in totò orbe: Utrum corpus sit: Quid sit factura quando per nos aliquid facere desit: Quomodo libertate suâ usura, cum ex hâc effugerit caveâ: An obliviscatur piorum & illic nosse se incipiat, postquam de corpore abducta in sublime secessit.

§. 2. Nostrum erit de singulis hîc non tractare, lubet tamen quædam de iis, quæ hodiernò tempore in Ecclesiâ maximè controvertuntur, degustasse quæstionibus, & quidem in hâc de Animæ humanæ essentiâ. Quò autem pede inoffensò progredi queamus, notanda pauca; primò quod vocabulum rationalis non semper unò eodemque modò accipitur. Usurpatur enim quantum è Castan. Syn. distinct. colligi potest; in forò I. *Physicò*, & tunc tria notat (α) ipsam rei intrinsecam constitutionem, *partim* præcisè sine ullis proprietatibus, *partim* cum connotatò ad eas & operationes respectu consideratam. (β) Potentiam intelligendi sive intellectum (γ) Ipsam intellectûs actionem ac exercitium. II. *Logicò*, in doctrinâ de habitus illius instrumentalis fructibus, ubi notat rursus *vel definitionem*, quæ essentiam ac quidditatem rei declarat, *vel methodum* ac elegantem illam rerum tractandarum ad meliorem cognitionem adhibitam dispositionem. III. *Indefinitè disciplinari*, quod in omnibus scientiis usum suum habeat. Ubi notat causam, sive id, quod causæ rationem habet, cum primis verò formalem sive id, quod formalis causæ vicem præstat. Præsenti nostro negotio secunda è *Physicò* forò desumpta significatio inservit, juxta quam anima rationalis æquipollet ad intelligentem, uti passim vox hæc apud Connimbricenses reperitur. *Secundò* not. vocabula hæc *Anima rationalis* conjunctim spectata, sumuntur vel *conveniendo*

21xw6,

χικῶς, ut denotent totum hominem, qualia e xempla ē Sacro
 codice demonstrari possunt ut Gen. 14. v. 21. 1. Petri 3. v. 23.
 præcipuè verò iis in locis, ubi mors ac occisio de anima dici-
 tur Num. 23. v. 10. Joh. 20, 3. Jud. 16, 30. Job. 36, 14. &c. Vel
 μετωνυμικῶς (1.) Effecti pro causa, ut 1. Reg. 2, 23. Joh. 15, 13.
 (2.) Subjecti pro adjunctō. Ps. 27. 12. Joh. 10, 24. Vel ἰδιῶς &
proprie, pro causâ hominis formali, ac alterâ potiori; com-
 positi parte, & hæc posterior significatio remotis cœteris ve-
 nit nobis in considerationem. Et tunc quoad ejus cum aliis
 in significatione communionem, variè appellatur ut anno-
 tavit Aug. in lib. de Spirit. & An. c. 13. his verbis: *Anima di-*
citur anima dum vegetat, Spiritus dum contemplatur, sensus dū sen-
tit, Animus dum sapit, mens dum intelligit, ratio dum decernit, me-
moria dum recordatur, voluntas dum vult, quæ verba repetit
 Reischius Margar. Philosoph. c. 14.

§. 3. Extant autem de hâc ipsâ quæstione variæ &
 discrepantes Philosophorum veterum opiniones referente
 Theodoretō, quæ breviter ex hoc transcriptæ videri possunt
 apud Jacob. Fourn. tom. 6. universæ Phil. Syn. pag 8. Thom.
 Compton. in 3. lib. Arist. Item D. Jac. Mart. in exercit. Me-
 taph. Ex quibus constat, quàm difficilis sit ipsius de animæ
 naturâ veritatis inquisitio, cum tot opinionum sectas pepe-
 rerit.

§. 4. Quidam dixerunt esse accidens, quidam econ-
 trario Substantiam, cum omnia ὄντα dividantur aut in sub-
 stantiam, aut in accidens: quicquid enim est, vel seipsō exi-
 stit, vel alteri inhaeret: Priori modo se habet substantia, po-
 steriori verò accidens; Jam anima est aliquod, ergò cadat
 in hanc distinctionem necessum est. Qui animam accidens
 constituerunt, retulerunt vel ad prædicamentum quantita-
 tis, vel ad prædicamentum qualitatis (ut ex supra allegatis
 Theodoretī verbis manifestum est.) Neque qui animam sub-
 stantiam esse asseruerunt, eandem foverunt sententiam, sed
 admodum hæsitaverunt: *Alii* illam corpoream, *Alii* incorpore-
 am dixerunt, *Qui* corpoream, vel mixtam, vel simplicem sive
 puram voluerunt.

§. 5. Nos

§. 5. Nos relicto paululum accidente, approbamus substantiam, non quidem corpoream, ut plerique omnes Philosophi ante Aristotelem, Arist. lib. I. de An. & cum iis Ecclesiastici nonnulli scriptores existimarent, sed incorpoream. I. Esse substantiam constat inde (α) Quicquid sustinet accidentia; illud ipsum non est accidens, sed substantia: Atqui anima sustinet accidentia, nempe vitia, virtutes, scientiam, ignorantiam & actiones varias, quæ non nisi substantiâ sustinentur. (β) Quicquid est principium primum omnium operationum & motuum, id est substantia: Atqui anima &c. E. (γ) Quicquid est ἐντελέχεια & perfectio, seu actus ipse, illud substantia est; Atqui anima &c. E. Cum igitur anima sit substantia, non erit accidens, aliàs concedendum esset animam esse numerum seipsum moventem, numerus verò pertinet ad prædicamentum Quantitatis, & Quantitas est accidens. Neq; deinde anima harmonia est: Omnis enim harmonia est Qualitas, Qualitas est accidens, Anima ergo accidens non est; destructâ quoque substantiâ, accidens superstes non manet, ast anima, licet destruat corpus, perennat. Porro, Qualitas recipit magis & minus: Ast anima respectu actûs primi, hoc est, in suâ Essentia, non recipit magis & minus E non est Qualitas. Tandem in harmoniam nullum potest cadere contrarium & δυσ-αρμονία, cum illam prorsus destruat; Ast in animam, essentialiter non mutatam, contraria possunt cadere, nempe virtus & vitia E. non ἀρμονία.

§. 6. Galeni Medici nobis hic quoque attingenda de animâ sententia, qui etsi multis in locis animæ substantiam non tantum sibi ignotam ingenuè confitetur, sed & eam definire non esse Sapientis putat: In disputatione tamen, quæ inscribitur, animi mores imitari temperamenta corporum, & in commentariò S. partis I. 6. Epidem. expressè affirmat, animam esse ipsam κράσιν & temperamentum ex legitimâ quatuor Elementorum contemperatione conflatum. Unde alibi non veritus est dicere, Animam esse temperamentum qualitatatum, & cum his immutari. Verum enim verò si anima esset temperamentum siue κράσις, sequeretur. I. Omne corpus debere esse ani-

animam & animatum, cum omnia corpōra ex quatuor Elementorum commixtione fiant, sed apertè falsum est hoc, quia aliàs & elementa & omnia ex his mixta (ut lapides, ferrum, terra) sine discrimine animalia erunt. 2. Sequeretur animam fieri ex quatuor Elementis, sed hoc falsum &c. Tandem caderet in animam vicisitudo & varietas, quia humorū temperamenta pro ætate, locō, victūsque ratione permutantur.

§. 7. NON esse SUBSTANTIAM CORPOREAM, probamus his rationibus. Omne corpus per se est materiatum, constat tribus dimensionibus, est mobile, divisibile & habet partes extra partes, est in locō & recipit δύναμιν ἀντιφάσεως. Atqui animus non est materiatus, non habet tres dimensiones, &c. E. Porro argumētamur cū B. Jac. Mart. Theor. 8 Omne corpus est in essentiâ generis, est comunicabile recipiendo successive diversas formas, cūm ejus interna causa sit πανδεχής, adeoque est generabile & corruptibile, ex se mutabile, & ab agente lædi potest, iis etiam conservatur, & nutritur, medi-antibus alterationibus, ex quibus constat, & habet figuram & superficiem: Atqui omnia hæc de animâ negantur. E. &c. Tertio Nullum corpus per se & essentialiter distinguit, neque est ἐντελέχεια, neque est πρώτη ἰσία σώματος, neque est causa actionum seu principium motūs, neque habet individuum essentiam, individuas vires, individuas actiones &c. Atqui omnia hæc de animâ affirmantur E. anima non est corpus, multò minus medium inter corpus & corporeum, ut per Riphæas nives Patricius erravit. πνεύμα, lib. 2.

§. 8. Concluditur ergo animam esse substantiam incorpoream sive spiritualem & hoc eò fundamento, quia spirituum affectiones tūm positivæ tūm negativæ ut sunt, Simplicitas, intellectualitas, arbitrii libertas, immutabilitas, Indivisibilitas, Illocalitas, immobilitas, animæ nostræ tribui possunt. Hinc nonnullis definitio animæ hæc placet: *Anima humana est Spiritus finitus incompletus cum corpore humano perfectam absolvens speciem.*

§. 9. Nos Excellentiss. Sperling. P. M. definitionem
B vene-

veneramur eamque ex Anthropolog. lib. 1. cap. 1. & Institut. Physicis his repetimus verbis: *Anima humana est forma hominis, quâ est, intelligit & vult.* Ubi Generis locô ponitur *Forma*, & intelligitur (1.) *non artificialis*, quæ arte producitur, ut forma mensæ &c. (2.) *non forma & figura naturalis* externa in oculos incurrens, ut est forma equi, bovis, hominis, canis &c. *non* (3.) *forma accidentalis*, quæ constitutæ rei advenit, quales sunt natandi, volandi, currendi, videndi potentia &c. quarum innumerus numerus datur; *sed* intelligitur (4.) *altera pars compositi*, quæ corpus naturale constituit, variis accidentibus exornat, operationumque fons & radix est. Hinc ob convenientiam cum aliis animantibus & ob facultatum, operationumque varietatem varios gignit conceptus. *Quatenus dat esse, forma dicitur, quatenus vivere, anima, quatenus vegetare, anima vegetativa, quatenus sentire, anima sensitiva, quatenus intelligere, anima rationalis.* B. Sperl. Inst. c. 3 de formâ lib. 1. p. 80.

IV.

Quenam Anima rationalis origo?

§. 1. Nobilissimam hanc quæstionem semper fuisse perdifficilem insolubilemque confitetur D. Gregorius lib. 7. Epist. 53. ad Secund. dum scribit: *Quæstio de Origine animæ inter Sanctos Patres non parva versata est, sed utrum ipsa ab Adamo descenderit, an certa singulis detur, incertum remansit; eamque insolubilem, fassi sunt, esse quæstionem.* Gravis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi. Imo Augustinus ob summam hujus controversiæ difficultatem maluit τὸ ἐπιχειν observare; sic enim perhibet Epist. 157. *Non periculum est, si animæ origo lateat, dummodo redemptio clareat.* Ast turpe videtur ea ignorare velle, de quibus tot clarissimi Viri scripserunt. siquidem Philosophum decet, μάλλον ἀγαπᾶν ἢ μῆεσι ῥαδίως λαβεῖν Arist. lib. 3. Topic. cap. 3. magis diligere ea, quæ sunt difficiliora, & firmam de aliquâ re habere sententiam. Quæstio autem hæc, cum valdè operosa sit & magnus ad scribendum nobis sese aperiat campus; non enim unus ac alter, nec solum antiqui Patres & Philosophi, quanquam sciant sententiam.

fale-

falebrosam esse, pertinaci ingenio hic nobiscum depugnant, quare operæ pretium erit, quædam maleferiatorum Doctorum judicia allegasse.

§. 2. *Quidam* volunt animas humanas esse vel *Dei Substantiam*, vel *ex Dei Substantia*, proinde nec propriè creari, & hunc errorem forsan deduxerunt ex illo Gen. 2. Inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ, quasi Deus ex Substantiâ suâ illam eructaverit, quemadmodum homo, dum sufflat aliquid, id de seipsò ejicit inflatu, quod commentum est Philonis Judæi, sicut & Stoicorum, Gnosticorum, Manichæorum, Carpocratis, Dicartiræ, Priscillianistarum Ap. Aug. lib. de hæres. c. 6, 46. & 70. Verùm enim verò, constat abominandam esse sententiam, dicere animas nostras esse ita de Substantiâ Dei, ut vel plane cum illo eandem habeant naturam, vel portiones, & jam dudum ab Ecclesiâ in Conciliis damnata est. Leo I. Epist. 71. inquit: *Quam impietatem ex Philosophorum quorundam & Manichæorum opinione manantem, catholica fides damnat, sciens, nullam tam sublimem, tamq̃ precipuam esse facturam, cui Deus ipse, natura sit.* Idem ipse damnat anathemate in Concil. Tolet. cap. 21. Sic & S. Patres ut Chrysostomus, in 2. gen. hom. 13. Justinus, in Colloq. cum Tryph. Hieronymus, Ep. 18. Lactantius, de Opif. Dei c. 19. Augustinus sæpissimè etiam talem errorem adversus Manichæos infectatur. potissimùm, quod si anima pars Dei esset, omninò incommutabilis, atque incorruptibilis esset, nec deficeret in deterius; nec proficeret in melius &c. Vide Jacob Fournenc. Tom. 1. c. 3. §. 2.

§. 3. *Nonnulli* delirant, animas humanas omnes simul ex nihilò esse à Deò omnium rerum Autore cum Angelis intra hexæmeron creatos, sed ob peccatum aliquod ab iis in cælò patratum, veluti, si cœlestis beatitudinis nauseâ res terrenas & corporeas amare cepissent, in corpora, tanquam in carceres, detrusas esse: & hæc sententia est Platonis in Timæo & Platoniorum, itemque Macrobii lib. 1. de somno Scipion. c. 11. 12. Et Origenis lib. 1. *ἀπὸ ἀρχῶν* c. 7. Item Priscillianistarum nonnullorum & Barulitanorum, qui quibusdam locis ex Sacrà Scripturâ

innituntur, ut Ps. 116, 7. *Revertere anima &c.* Ps. 142, 8. *Educ animam meam ex carcere, ut glorificem nomen tuum.* It. Joh. 1, 9. *Erat lux illa vera lux, que illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Insuper esse figmentum, quod nulla ratione demonstrari potest, propterea que ab universâ Ecclesiâ anathemate damnatum, testatur Synodus V. Constant. quæ dicit, *si quis sentit, hominum animas, veluti prius extrantes intellectuales mentes, sive naturas, & sanctas virtutes præexistisse, contemplatione verò divinâ exsatiatas, atq; in deterius prolapsas, & quod in eis charitas Dei refrigerit, indeq; ψυχας, i. e. animas quasi refrigerantes nominatas, & pœnæ gratiâ in corpora demissas esse, anathema sit.* Idem asseritur in Concil. Bracar. I. can. 6, & Constantin. 6. a. II. Ratio hæc est, quia Deus tantum unum in individuo spiraculum vitæ Protoplasto nostro insufflavit; alia verò spiracula creata esse, Scriptura, & Moses historiam creationis perhibens, taceat: Deinde absonum quoque est animam priorem existisse corpore, hoc argumento evincimus: **Quicquid per se alicui competit, illud prius est eò, quod ei tantummodo per accidens convenit.** Atqui Animæ per se competit corpus informare, per accidens autem seorsim existere, E. prius corpus suum informare debet, quàm existere. Porro animam corpori tanquam carceri includi sacris literis è diametrò contrarium est. Nam (1.) Deus Noachum & Loth imprudenter servasset, nil enim aliud fuisset, quàm Viros improbos è carceribus dimittere, viros probos longius cœercere. (2.) Gratiæ agenda essent Diabolo, non Christo: Illi, quod mortem nobis procuravit; huic quod perpetuum nobis resurrectione suâ carcerem acquisierit. (3.) Benedictio illa à Deo facta, Gen. 1. §. 28. *Crescite & multiplicamini*, non esset benedictio, sed maledictio. Item (4.) non fuisset beneficium Lazarum miraculosè resuscitare. Et (5.) Sententia hæc Origenis est *ἀνθυπερβία*, nullò enim modò cum locò istò Rom 5, 14. conciliabitur, ubi dicitur: *Mors regnavit in eos, qui non peccarunt in similitudinem prevaricationis Adæ.* Similiter cum dicto Rom. 9. §. II. *Cum nondum nati essent, nec quicquam boni egissent &c.* Ad loca verò quæ Origenes aliique in con-

tra-

trarium ex S. Scripturâ ad stabiliendum errorem suum nobis
objiciunt Excellentissimus D. D. Danhauw. Colleg. $\psi\chi\sigma\lambda$.
disp. 6. Theorem. 1. respondet, quò brevitatis causâ benevo-
lum Anagnosten ablegatum volumus.

§. 4. Quidam Patres, ut Gregorius Nissenus lib. de o-
pificio hominis cap. 28. 29. Aliique. Item Rabbini, ut Rabbi
Salomon in c. 33. Deut. Rabbi Menasseh Ben Israël de Crea-
tione Probl. 18. (qui pro se citat Rabbi Mos. Ben Nachman,
Rabbi Lipman in Nizachon, R. Bechai in Breschit Rabba)
*animas humanas cum Angelis primò die omnes simul conditas, a-
pud Deum existere, atque inde in corporea quotidie mitti, tra-
dunt. At quis hominum non videt rursus hoc esse stultissi-
mum figmentum ac conatum, asserere quod partim Sacra
Scriptura negat, negare quod Scriptura affirmat: Affirmat
Scriptura sacra, Jehovam Dominum inspirasse spiraculum
vitæ Adamo, quod Gregorius & cœteri negant. Negant sa-
cræ literæ animas humanas omnes omninò ac singulas ante
mundum esse conditas, Gregorius affirmat.*

§. 5. Circa originem animæ humanæ se quoque ad-
versarios nostros Pelagius & Pelagiani, item Pontificii, Scho-
lastici, Aliorumque Doctorum Theologorum, immediatam
& quotidianam animarum creationem exclusis parentum a-
nimabus in naturâ jam institutâ producentibus, profiten-
tur.

§. 6. Sed nos in contrarium cum Excellentissimò
Physico nostro Sperlingio P. M. ita argumentamur. 1. *Que-
cunque opinio habet contradicentem Scripturam, illa non est am-
plectenda. Atqui opinio immediatam animæ rationalis creatio-
nem mordicus defendens est talis. Er. Minoris propositionem
probamus contradicere disertis literis Gen. 2. v. 1. 2. & 3 Ubi
Deus dicitur ab omni opere die 7. quievisse, quod patrârat.
Circa verbum quievit, observanda (1.) natura Quietis, quæ
privationem motûs importat & quidem creativi, non coo-
perativi, quia Deus Pater adhuc cooperatur Joh. 2. (2.) nota
objectum, quod est omne opus, quod patrârat; ad patravit a-
nimam. (3.) modus quiescendi est ut faceret. Quò significa-*

tur, Deum eò ipsò quietis momento immediatam animarum creationem ab ipsâ ordinariâ conservatione distinguere voluisse, quarum illa in naturâ constituendâ, hæc in constitutâ meretur suum locum.

II. *Quicquid Physicis ut plurimum, iisdem infirmis nititur rationibus, illud rejiciendum est, Atqui immediata atque quotidiana animarum creatio &c.* Er. Minorem probamus. Non enim in omni procedunt rationes ab adversariis datae. Nam omne mortale per se subsistere non de impuris, licet de puris formis, nec de incompletis Spiritibus procedit. Postea quoque per se subsistere propter peccati primi & mortis interventum prædicatur de animâ rationali Nec illa ratio: Quæcunque per se subsistunt (subsistentia sc. totali, completâ ac perfectâ) illa etiam per se producuntur, de animâ rationali subsumi possunt. Plura, brevitatis causâ ommissa, videri possunt in Anthropologiâ incomparabilis Physici Sperlingii, *ὁ ὕψιστος*, p. 92.

III. *Quæcunque opinio est blasphemata in Deum, illa in orthodoxâ Ecclesia toleranda non est.* Atqui doctrina de immediatâ animarum nostrarum creatione est impia ac blasphemata in Deum. E. Demonstramus hõc modò minorem. Si Deus hodiernò die adhuc animas immediatè creat, aut puras, perfectas & integras creat, aut impuras: *Non puras*, quia peccato originali obnoxia sunt, quod si non concedis, ibis in castra Pelagianorum, & immortalis Spiritus corrumperetur à corpore mortali, cum tamen anima & corpus gaudeant contactû virtuali: *Nec impuras*, esset aliàs Deus, qui omnes creaturas creavit valdè & excellenter bonas, causa & autor pollutionis sive peccati, & committeret anima peccatum actuale priusquam haberet originale, adeoque causa suò effectû posterior existeret. Prolixiores de hâc materia sunt Excellentissimi Viri, B. Sperling. & D. D. Dannhauv. L. L. suprâ allegatis.

IV. *Quæ sententia parit absurditates illa removenda, hæc ita est.* E. Quippe, si Deus animam hominis immediatè creat, generationis humanæ natura evertitur, homo hominem reverà non generat, quia potiozem & nobiliozem partem essentia-

sentia-

sentialem non largitur, sc. animam, quæ dat esse rei, distingui & operari. Quales essent, quæso, Parentes, qui partem materialem tantum generarent? Patres non Patres? Sed dicas esse causas morales. Quæro, quid est *causa moralis*? Juxta Clarissimos Philosophos Plur. Rever. Dn. D. Scharffium, Scheibl. Suaretz. *quæ per se verè non efficit, moraliter tamen ita se gerit, ut ei imputetur effectus.* Causa verò Physica verè efficit, moralis imputativè. Jam applicemus hæc quæ dicta ad Patres tales non Patres, qui generant filios imputativos, egregii Parentes? Sanè! Forfitan hoc valet tritum, ubi alter fecit filiolos, tulit alter honores. Et positò hòc (tamen non concessò) animam creari immediatè & non à parentibus produci, negaretur generatio univoca homini, quod nemo sanæ mentis dicet. Vide prolixiores hæc de re Dn. D. Calovium tom. 3. Syft. item dissert. de Traduce, & instiu Phys. Sperling.

V.

An anima rationalis traducatur?

§. 1. Quàm intricata sit quæstio de origine animæ nostræ, testantur tot fulgentissimorum rei literariæ sidera, ita, ut judicium suum suspendere maluerint quàm certum quid asseverare. Megalandrum Lutherum dixisse, perhibent, *se de hac quæstione nihil publicè affirmare, sed privatim apud se asservere opinionè de Traduce velle.* Nos examinatis cæteris opinionibus, meliorè nò invenimus sententiam, quàm quæ animas per traducem à parentibus propagari, docet, ideoquè & hanc nostram facimus & probamus eam paucis rationibus, & quidem

§. 2. I. Ex benedictione Dei primævâ Gen. 1. v. 28. & cap. 9. v. 1. Crescite & multiplicamini. Vi hujus benedictionis universo animalium generi inditum est, ut procreet sibi simile secundum speciem, nò tantum corpus ipsi largiendò, sed & procreandò: Jam si animæ nostræ non à parentibus traducerentur, sed crearentur adhuc quotidie, & corporibus nostris infunderentur, benedictio illa meliorem effectum
for-

sortita esset in brutis, quàm in homine, quod tamen, alienum à Creatoris benignitate.

II. *Ex generationis descriptione* Gen. 5. v. 3. Adamum genuisse filium ad similitudinem & imaginem suam: Hinc, Quicumque gignit aliquem ad imaginem suam, is non tantum corpus sed etiam animam gignit, producit & traducit, Sed verum est prius. E. & post. Generatio enim sine formæ introductione fingi nequit, quia in eâ generans genito communicat suam essentiam; Et si hoc non esset, cessaret apud homines generatio univoca, forentque deteriores bestiis.

III. *Ex productione Animæ Evæ* Gen. 2. v. 21. seqq. Ubi Moses ita dicit: Cadere fecit Jehova Deus soporem super hominem, & obdormivit; tulitque unam è costis ejus & clausit carnem pro eâ. Et ædificavit Jehova Deus costam illam, quam tulerat ex homine in mulierem, & adduxit eam ad hominem dixitque homo, hoc nunc os ex osibus meis, & caro ex carne meâ; Propterea vocabitur virago, quia ex virô sumta est. Hæc origo animæ Evæ & corporis. Non legimus hic, quod Jehova Deus in faciem Evæ inspiraverit spiraculum vitæ, sed quòd mulierem ex costâ, (utpote principiò & animæ & Corporis Evæ) quam ex Adamò sumferit, ædificaret. Hæc costa non inanimata sed animata fuit, unde novâ animæ creatione Jehova Deus non opus habuit. Jam ut Evæ animæ ex animâ & animatò vivòque Adamò traducta est, ita & filiorum animæ è vivis & animatis parentibus traducuntur. Plura vid. apud Dn. D. Calovium locò suprâ allegatò.

VI.

An anima actû, an verò potentiâ sit in semine?

§. I. Hic nobis iterum, nec sine fervore cum variis variorum Philosophorum certandum opinionibus de ipsò inani.

inanimationis momentò. Thomas Fienus Medicus Lovaniensis, vult animam tertio à conceptione seminis die infundi, ut foetum ac membranas conformare valeat, quas experimentis à Galenò & Hypocrate factis, constat saltem 4. vel 5. die perfici.

§. 2. Alii volunt foetum virilem animari die 40, foemineum verò 80. duntaxat, quod ob defectum caloris & imbecillitatem virtutis formatricis tardius absolvatur.

§. 3. Sunt etiam, qui foetum non communiter animari, nisi die 45. dicunt, & ita tempora formationis distribuunt.

*Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.*

§. 4. Jacobus Fournenc. in Syn. univ. Philosoph. §. 5. pag. 49. hoc unicum sibi certum esse dicit, animam rationalem tunc demum, cum primò corpus organum humanæ proli aptis concinnatum fuerit, infundi: Quod obtinet etiam, dum non est maximâ formicâ grandius; pro se asserentem Arist. de hac re 7. hist. anim. allegat. Item Fernel. qui testatur à se fuisse observatum, die 40. ejectum foetum prædictæ magnitudinis, cui caput avellanæ par, & majus, quàm pro reliqui corporis ratione &c. Et interpositâ unâ atque alterâ lineolâ hæc subjicit: *Nobis hoc sufficiat cum Ecclesiâ tenere, quod foetus in uterò prius gestetur quàm animetur.*

§. 5. Doct. Nicolaus Hunnius lib. de creat. p. 913. planè contrarium his verbis reponit, **Wie wohl/inquiens, gehalten wird/das die Seele im 40. Tage nach der Empfängniß in den Leib komme / und alsdann nur ein rechter natürlicher Mensch werde / jedoch weil die Seele alsobald nach der Empfängniß anfänget ihren Leib zu bauen / und ihn zu einem bequemen Werkzeuge**

S

zu

zu zurichten/ so ist allerdings gläublicher / daß
die Seele alsobald in der Empfängniß vor-
handen sey. Pluras D. Orthodoxorum allegasse sen-
tentias, supervacaneum foret; brevitatis igitur causâ ta-
le submittimus argumentum. *Quicquid rationibus firmis
demonstrari non potest adeòque Sacra Scriptura contrariatur, id
falsum est & rejiciendum. Atqui doctrina de potentiali existen-
tiâ firmis rationibus demonstrari haud potest, & Sacra Scriptura
contrariatur E.* Assumptum probatur partim ex Job 14.v.4.
Quis potest dare mundum de immundo conceptum semine. Unde
tale argumentum: Quodcunque semen immundum seu
peccatò oridinali infectum est, id animatum sit oportet;
nisi enim animatum esset, quomodo peccati capax? quo
modò immundum esset spiritualiter? At semen de quò
quisq; concipitur, naturali propogatus generatione, im-
mundum est, quò peccatò infectum sit originali. Ergo
semen de quò quisque concipitur animatum est. Simili-
ter ex Psalm. 51. v. 7. concludimus: *Si in peccatis concipitur
infans, ita ut in primò conceptionis momentò eidem sit obnoxius,
quàm primùm incepit calefieri in uterò maternò (quod impor-
tat emphasis vocis דמנ) necessum est primò conceptionis mo-
mentò animam præstò esse. At antecedens verum E.* Porro a-
nimam potentiâ non esse in semine *has rationes damus.* Ubi
animæ operationes sunt, ibi etiam facultates animæ sunt,
& ubi facultates, ibi anima ipsa est; sed sunt animæ opera-
tiones in semine, hæc enim semina vivificat, partium ap-
paratum efformat; Et ut artificia ab eò qui auctù est, fiunt,
ita etiam corpus à formâ, quæ actù est in semine, elabora-
tur. Notandum tamen, quando animam in semine a-
ctù esse dicimus, intelligimus non illud temerè effusum,
aut unius causæ, sed fœcundum, quod in uterum tan-
quam agrum fœcundissimum effunditur; In hoc semine
animam actù esse affirmamus, quod & ipse Arist. affirmat,
inquiens; quod movet, actù adest, anima movet in semi-
ne E. adest actù & est formatrix partium.

§.6. Fru-

§. 6. Frustrà igitur & temerè Discipuli prudentiores suò Præcept. Arist. sunt, quãdo neglectis istis locis, ubi semini toties tribuit actum, illa urgent, quibus *δυναμις* ait esse. Et licet destruere conentur nostram sententiam, laterem tamen lavant.

VII.

An anima rationalis ab utroq; parente; an verò ab alterutrò solùm in nostra veniat corpora?

§. 1. Expeditis hæctenus cæteris, nobis etiam modus propagationis minimè prætereundus, ubi animam nostram non à solò Patre, nec à solâ matre, sed vi benedictionis primævæ, ex singulari DEI ordinatione, atque maris & fœminæ coordinatione in ipsò conceptionis actû *παρ' ἑωσ*, ab utroque parente totam beneficio spermatis à parte, totamque beneficiò spermatis à matre propagari asserimus.

§. 2. *Non à matre solâ*, quia expertè sacræ literæ etiam animarum originem patribus assignat, quibus hæc in parte fides minimè deneganda. 2. Filius magis matris quàm patris esset filius, adeoque inæqualitas fieret in ipsâ filiatione, quando mater nobiliorem daret filiis partem 3. Si animæ transveherentur beneficio feminis à matre solâ, etiam familiæ non ex patribus, sed potius matribus & nominari & numerari deberent. Cujus contrarium neminem fugere potest.

§. 3. *Nec à Patre solò propagantur*, sequuntur enim inde multæ absurditates, quippe peccatum originis non à Matre, sed à solò propagabitur patre; 2. Christus Jesus Mariæ Filius, qui secundum humanam naturam *ἀπὸ τῶν* fuit, hæc ratione non habebit animam rationalem, quod blasphemum est dicere. 3. Filius magis esset patris quàm

matris, quàm tamen æquè hujus ac illius filium esse, sana
 dicitur ratio. 4. Nullus è Sacrà Scripturâ adduci potest lo-
 cus ubi generatio non connotatâ, sed exclusâ matre ad-
 scribatur patri. Mas enim & fœmina Physicè considerati
 (licet politicè Marito præ conjuge quædam concedatur
 præminencia) in actû generandi pro unâ stant causâ, a-
 deoque se æqualiter habentes unum producant effectum.
 Itaque animæ parentum non separatim sed conjunctim, &
 in mirabili generationis opere quasi identificatæ, ita ut
 neutra ex se & per se sola ex divinâ ordinatione ad produ-
 cendam speciem humanam sibi que similem sufficiens sit,
 perponderandæ sunt. Et licet duplex hîc sit anima quippe
 Matris & patris, tamen exinde non statim duplicatur ge-
 niti anima. Sic differunt Pater & Mater numerô extra
 generationis actum, non tamen in ipsô actû, quia sunt
 causæ sociæ & una caro. Hinc rectè B. Meisnerus p. 926.
*Sicut tam arctè ibi est corporum conjunctio, ut Mas & fœ-
 mina dicantur una caro: Ita nihil absurdi sequetur, etiam si
 statuamus animas parentum istò actû ex singulari ordina-
 tione divinâ adeò conjungi & quasi coire, ut utraq; in istâ
 carnis copulâ conjunctim unam in semine animam produ-
 cant.*

VIII.

*An anima hominis in totò corpore sit tota, &
 tota in qualibet corporis
 parte?*

§. I. Cum hæc quæstio magis subtilis, quàm uti-
 lis sit, nolumus rem hîc anxie & adeò prolixè tractare, sed
 pauca in primordiô observare, quod anima 1 (latè & in
 genere accepta) non sit totum perfectionale, quod cuique
 constat, esset aliàs ipse Deus: Neque (2.) essentialiter, quia
 nul-

nulla alia ad suam essentiam requirit, ipsa simplex est essentia. Nec (3.) *totum integrale*, quia repugnat ei quantam esse, & habere partes extra partes. *Totum* (4.) *individuale & universale*, quia suo modo dici possit, haud inficiamur: Sed hæc consideratio non est hujus loci, sed pertinet ad Logicam. Relinquitur (5.) *totum potestativum*, quò nomine commodè animam insigniri posse totam arbitramur, quia suas potentias, suas etiam facultates, materialiter à se invicem distinctas, per quas operari possit, habet. Hæ ipsæ autem facultates seu potentiæ sunt tantum analogæ partibus, & nihil prohibet, quò minus partes (ὡς πλάτες & ampliatio vocabulo partis) appellentur.

§. 2. Circa ipsam verò quæstionem varii varia respondent. Et quidem Animam in toto suo corpore esse totam, nemo inficiabit. Utrùm verò eadē anima in singulis corporis partibus & partium particulis tota sit, inter se disceptant tam veteres, quàm Neoterici Philosophi & Medici. Timpletus, l. 2. Met. c. 5. q. 6. *falsum est*, scribit, *quod anima sicut tota est in toto corpore, ita etiam tota sit in quâlibet corporis parte*. Licet enim multi Theologi & Philosophi id statuant, tamen non video id ab illis esse probatum. Et cum ex illa opinione πολυτοπίας absurditas sequatur, meritò à nobis rejicitur. Verum huic errori jam pridem à multis Philosophis & Theologis satisfactum, nolimus in eò operosius profligandò tempus perdere, sed potiùs rationes adducere, quibus animam in quâlibet corporis parte totam esse dicimus.

§. 3. *Totam esse animam in toto corpore, infert ratio Spiritus*. Omnis Spiritus totus est ubicunq̄ue est. Anima est Spiritus E. tota est ubicunq̄ue est. Si non esset Spiritus Anima, & per se & per accidens extensa erit, quod negatur. Porrò à genere definitionis animæ hoc argumentum sumitur. Forma est diffusa per totum formatum, Anima rationalis est forma E, Major claret, quia forma essentiam

largitur toti formato, imò ipsa est formati essentia; Jam, cum essentia per totum formatum diffusa sit, utique certi alicujus membri cancelli formam non cohibebunt.

§. 4. *Animam nostram verò in quâlibet corporis parte esse totam* hoc evincimus syllogismò. Quicquid est in totò subjecto informationis, illud etiam est in singulis subjecti partibus. Anima rationalis est in totò subjecto informationis E. Anima rationalis est in singulis subjecti illius (sive corporis humani) partibus: Major probatur, si enim in parte unâ non est, nec erit in totò. Minor etiam suo talò stat. Omnis forma informans est in toto subjecto informationis: Anima rationalis est forma informans. Conclusionem secus qui sentiunt, apponant. Majorem & Minorem probat Excell. Sper. in Anthropol. pag 79. quem vide.

IX.

An præter animam rationalem plures dentur animæ realiter inter se invicem distinctæ in corpore humanò?

§. 1. Non magni momenti lis exorta inter Philosophos nonnullos, in homine præter animam rationalem etiam animam vegetantem & sententiam, realiter à se invicem distinctas, inveniri, consideratò homine in diverso statù. Conimbricenses tale argumentum nectunt pro triplici animâ in homine: *Fætus dum uterò fingitur & conformatur, primò vivit vitam stirpis (plantæ) deinde animalis, postremò hominis. Igitur cum anima sensitiva producitur, jam insidet in materiâ anima vegetativa, & cum anima rationalis creatur, jam præest anima sensitiva. Sed nec prima accessu secundæ, nec secundæ ingressu tertie interit. Manent E. in homine hæ tres animæ.*

§. 2. Aver-

§. 2. Averroës & Zabarella huic sententiæ quoque ascribunt, dicentes *unam substantiam physicam plures animas substantiales admittere*: Verùm crudè admodum & imperitè satis. Siccine homo triplicem habebit essentiam, primùm quidē stirpis, post bestiarum, demum humanā? Esumus primò plātæ, postea bestia, ultimò quādo nascimur, homo. Et quidni essēt tres naturæ specificæ in homine cōstitutæ per tres illas animas specificas? Quid quæso homo esset? Certè ut Excell. Scaliger Ex. 290. s. 6. ait, esset homo non verus homo, sed verus Geryon, veraque Chymæra, ac si quid aliud trinum triplexvè ab Ausonio animadversum est. Certe si homo haberet tres animas realiter distinctas, tribus vicibus etiam moreretur. Imò separatâ animâ rationali & relictâ sensitivâ, ex homine specificè fieri quoddam brutum, quibus & absurdis nil absurdius.

§. 3. Dicimus igitur cum B. Sperling, *Anthropol. p. 69. Quemadmodum in homine animal & homo non realiter differunt, sed ratione, ita etiam in eodem duæ realiter distinctæ animæ non dantur, sed una quæ dat sensum & rationem. Ob sensum, sensitiva; ob rationem rationalis dici meruit. Ita ergò de anima sentiendum. Anima in genere, dat animatum in genere. Anima vegetativa, sensitiva & rationalis etiam animatum dant. Sed tale atque tale. Anima vegetativa animatum vegetans; sensitiva, sentiens; Rationalis, rationale. In homine quia non tantùm esse rationale, sed etiam sentiens ac vegetans, anima quoque non tantum rationalis sed & sentiens ac vegetans. In brutis, quia non tantum sentiens, sed & vegetans, anima quoque ibi sensitiva & vegetativa. In plantis, quia tantum est vegetans, sola anima etiam vegetativa est. Vera proinde Latinorum est sententia quando in eodem vivente plures animas, tanquam formas*

mas

mas substantiales distinctas non concedunt. Hanc quoque Aristotelis sententiam fuisse, indeliquet, quia l. 2. text. 31. Animam cum figuris comparat. *Quemadmodum enim, inquit, ut in quadratâ trigona, & numerus minor includitur in majore: ita quoque in facultatibus animæ se res habet.* In sensitivâ enim continetur vegetativa, tanquam unitas in binariô, & in intellectivâ vegetativa & sensitiva comprehenditur, tanquam binarius numerus in ternariô, non quòd sint tres numeri, sed quòd unius numeri ternarii tres sint partes essentielles. Et ob id facultates animæ non sunt distincta genera & substantiæ animarum in uno subjecto. Appellatur autem & sortitur anima suum nomen semper à præstantiori; In homine enim rationalis dicitur propter nobilitatem summæ istius gradûs vitæ, ratione & intellectiois utentis. In brutis sentiens vocatur, ob excellentiam ejus actionis, & huic inclusa est vegetans. Concludimus hinc unam homini esse animam, quæ sit illius forma, quæque omnia possit, quæ animæ cæteræ possunt. Er. non opus est plures assumere animas & præter rei necessitatem multiplicare entia.

Sit nomen DOMINI, nullibi exclusi, nullibi inclusi, benedictum in secula seculorum.